

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 809

**Auteur(s)** : Henri II Plantagenêt, Normandie (duc)

**Bénéficiaire(s)** : Bayeux (évêque)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1151-1153]

**Lieu d'émission** : Falaise

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Henri Plantagenêt, duc de Normandie et comte d'Anjou, ordonne qu'il soit fait une enquête sur les biens, les libertés et les franchises dont l'église de Bayeux jouissait sous Odon Ier de Conteville, son évêque, et pour la plupart réduits à néant après lui, afin d'être immédiatement remise en leur possession pleine et entière.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XIV, t. 1, p. 20-22.
- b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., t. 1, n° XXXIII\*, p. 39-40.

## Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle/É. Berger.

Texte établi d'après a

Henricus, dux Normanniæ, et comes Andegaviæ, Hugoni, Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo, et omnibus episcopis, comitibus, et baronibus suis de Normannia, salutem. Quoniam ecclesia Baiocensis, post mortem Odonis episcopi, per subsequentium episcoporum impotentiam, cum per eorumdem negligentiam, et pervenditiones, et donationes, et commutationes ab ipsis factas, fere ad nichilum redacta erat, ne funditus ecclesia prædicta destrueretur, provide Henricus rex, avus meus, instituit ut juramento antiquorum hominum, qui rem norant, recognoscerentur teneduræ jam dictæ ecclesie sicut fuerant in tempore prædicti Odonis, tam in dominicis quam in feodis militum, vavassorum, et rusticorum ; ipsius equidem tempore hæc omnia jurata sunt, et recognita, et sæpe dictæ ecclesie præcepto ejus resignata, et munimine carthæ suæ, quocumque modo a possessione ecclesie alienata essent, reddita sunt et confirmata. Subinde, Gaufridus, comes Andegaviæ, pater meus, commonitione et præcepto apostolicorum virorum Lucii et Eugenii, qui omnium episcoporum Baiocensium, ab Odone usque ad Philippum succedentium, donationes, et venditiones, et commutationes, et omnes alienationes quas de prædictæ ecclesie beneficiis fecerant, irritas esse præceperunt, item dominica, et feoda, et omnes Baiocensis ecclesie teneduras, sicut fuerant in tempore Henrici regis jurata, juramento fecit recognosci, et sicut Baiocensis ecclesia in tempore Odonis episcopi tenuerat ea ex integro, eidem ecclesie resignavit et cartha sua confirmavit. Vestigiis igitur

antecessorum meorum, avi scilicet et patris, inhærere concupiscentes, et patrum meorum apostolicorum Lucii et Eugenii commonitioni et præcepto obtemperare volentes et debentes, mandamus et præcipimus ut dominica, et feoda et possessiones, libertates et consuetudines Baiocensis ecclesiæ, et omnes teneduræ quas habuit in tempore Odonis episcopi, sicut unquam ea melius et liberius in tempore ejus habuit, juramento legitimorum et antiquorum hominum, qui rem norint, recognoscantur sicut fuerunt jurata et recognita in tempore avi mei et patris. Ea itaque omnia sæpe memoratæ ecclesiæ reddimus, concedimus et confirmamus. Testibus Garino, filio Girardi ; Willelmo, filio Hamonis ; Manessero Biset. Apud Falesiam.